



Disputatio historica inauguralis de Quinto Sertorio

<https://hdl.handle.net/1874/276105>

v.d.S.

III
9

DISPUTATIO HISTORICA INAUGURALIS
DE
QUINTO SERTORIO

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GUILIELMI KOSTER,

MED. DOCT. ET IN FAC. MED. PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTET

ALEXANDER GUILIELMUS HUBERTUS IOANNES SMITS,

Eindhovensis.

D. IV M. OCTOBRIS A. MDCCCLXVII, HORA I.

TRAECTI AD RHENUM,

TYPIS MANDAVERUNT KEMINK ET FILIUS,

MDCCCLXVII.



1860. 10. 10. 10. 10. 10. 10. 10.

1860. 10. 10. 10. 10. 10. 10.

1860. 10. 10. 10. 10. 10. 10.

1860. 10. 10. 10. 10. 10. 10.

1860. 10. 10. 10. 10. 10. 10.

1860. 10. 10. 10. 10. 10. 10.

1860. 10. 10. 10. 10. 10. 10.

1860. 10. 10. 10. 10. 10. 10.

1860. 10. 10. 10. 10. 10. 10.

1860. 10. 10. 10. 10. 10. 10.

1860. 10. 10. 10. 10. 10. 10.

1860. 10. 10. 10. 10. 10. 10.

1860. 10. 10. 10. 10. 10. 10.

1860. 10. 10. 10. 10. 10. 10.



KARSTENII

PRAECEPTORIS DILECTISSIMI

MEMORIAE

S.

THE ACTUAL
SITUATION

IN THE TERRITORY OF THE UNITED STATES

REVIEWED

*Variis in munus publicum, quo fungor, collatis curis a
dissertatione prius edenda impeditus, nunc demum legi satis-
facio. Ea de mora quatenus excusandus sim, ii, quaeso,
iudicent, qui aliquando in simili causa fuerint versati.
Lubentissime vero hanc arripio occasionem, ut tum Prae-
ceptor et Promotor acutissimo ROVERS, tum ceteris
clar. viris, quorum institutione in his literarum studiis usus
sum, publice gratias agam. Vos omnes de me optime meriti,
ut vitam feliciter et utiliter agatis mihique favere pergatis,
vehementer exopto.*

*Quod reliquum est, ne locorum confusio oriatur, moneo,
me in citandis Sallustii fragmentis unique, si contrarium
non diserte indicetur, Dietschii editionem adhibuisse.*

the first time, and the author's name is
not mentioned. The book is a collection
of short articles on various topics, such as
the history of the country, its geography,
its flora and fauna, its people and their
ways of life, its economy, its politics, etc.
The articles are written in a simple, direct
style, and are intended for a general audience.
The book is well-illustrated with numerous
photographs and maps, which help to give
a better understanding of the country.
The book is a valuable addition to the library
of anyone interested in the history and
culture of Mexico.

CONSPPECTUS.

| | |
|---------------------|------------|
| PROOEMIUM | Pag. 1. |
|---------------------|------------|

CAPUT I.

| | |
|---|-----|
| DE SERTORII IUVENTUTE, MILITIAE RUDIMENTIS DEQUE REBUS CUM ALIBI TUM IN HISPANIA PRAECLARE AB EO GESTIS AD POMPEII ADVENTUM | 10. |
|---|-----|

CAPUT II.

| | |
|---|-----|
| DE SERTORII REBUS GESTIS A POMPEII IN HISPANIAM ADVENTU AD CONIURATIONEM IN ILLUM FACTAM | 28. |
|---|-----|

CAPUT III.

| | |
|--|-----|
| DE CONIURATIONE IN SERTORIUM FACTA AD EIUS NECEM | 41. |
|--|-----|

卷之三

卷之三

卷之三

卷之三

卷之三

P R O O E M I U M.

Post bellum Punicum II. Roma triumphans concitato gradu ad imperium orbis terrarum tetendit. Quod ut facili negotio obtineret, ipsius orbis terrarum conditio, diversa exterarum gentium studia, discordiae adeo, quas callide Romani alebant, corumque sive prudentia sive versutia effecerunt. Magnae hae victoriae, bellis minus arduis reportatae, procul dubio valuerunt plurimum ad Romanorum ingenium, ut praecclare cecinit vates, excolegendum; eadem vero mores eorum corruerunt. Iam seculo a. C. altero ineunte luxuriae peregrinae origo ab exercitu Asiatico invecta erat, nobilissimaeque victoriae de Philippo et Antiocho reportatae nonnihil de prisca morum simplicitate detraxerant; vix tamen illa, quae tum conspiciebantur, semina erant futurae luxuriae.¹⁾ Cui latius serpenti quam maxime se opposuit Cato,

1) Liv. XXXIX, 6.

qui quanto opere in epularum splendorem, feminarum luxum, morum denique commutationem vel minimam invictus sit, vix dici potest. Quo mortuo tribusque annis post Corintho a Mummio diruta et Carthagine imperii acmula a Scipione sublata, luxuriari felicitas urbis incepit.¹⁾ Ab hoc inde tempore duo vitia, quae pestes maxima quaeque imperia everterunt, avaritiam dico et luxuriam, reliquaque, quae inde nascuntur, mala, civitatem Romanam pessum dederunt.²⁾ Omnino bella illa extera et victoriae effecerant, ut mirum in modum nobilium, quorum vis maxima erat in senatu, cresceret auctoritas. Cuius rei causa in promtu est. Quis enim nescit, rudis non esse populi optimam regiones exteras easque remotissimas administrandi rationem callere? Virorum hoc erat, qui rerum usu rebusque in ipsis illis regionibus gestis conspicui, mores hominum multorum viderant et urbes. Hi domum reduces a censoribus in senatum lecti dijudicare poterant, quibus rebus et reipublicae dignitati et provinciarum utilitati optime consuleretur. Iam vero hi nobiles belli facibus extinctis, ut fieri solet, spiritus sumpserunt, pluraque sibi identidem cum populi dispendio acquirere conati sunt. Quo factum est, ut partes orirentur, et plebeii, hos nimios spiritus indignati, vires iungerent, ut illorum dominandi libidini resisterent. Hinc duae ortae sunt factiones, quarum altera optimatum, popularium altera audit.

Ad horum quidem adversus illos conatus praeter legem

1) Flor. II, 15. Vell. Pat. II, 1.

2) Sall. Cat. X, Iug. XLI.

Calpurniam de repetundis, quae anno a. C. 149 a L. Calpurnio Pisone lata est, ut magistratum provinciarium avaritiae frena imponerentur,¹⁾ in primis referendae sunt leges tabellariae, aetati Gracchorum suppares, quibus pro alta voce, qua hucusque cives in comitiis ad suffragia ferenda usi erant, tabellae inductae sunt, ut et in magistratibus creandis et in iudiciis suis et in legibus ferendis maior populo, praesertim humiliori, concederetur libertas.²⁾ Praecipue vero in censum veniunt et alia, quibus Gracchi potentiorum vim imminuere conati sunt, et vero leges agrariae, quibus pauperiorum conditionem emendare studuerunt. Ingens illos cum horum detimento agros continuandi cupido invaserat; agellis illi his inique eruptis latifundia sua auxerant eaque infinita compleverant servorum multitudine. Hinc humiliorum civium miserrima orta conditio; servorum autem copia in reipublicae ruinam in dies crescente, misericordia non poterat non commovere optimi cuiusque animum. Verum in tanta morum corruptela οὐεῖν τὰ ἀκίντα nolebant viri in civitate Romana gravissimi, nec Laelius ipse, quod emendandum videbat, emendare ausus est. Ti. vero Gracchus διηγανδρίᾳ ἐλευθέρων motus, anno 133 tribunus pl., veterem C. Licinii legem de modo agrorum „ne quis plus quingenta iugera agri possideret” ad temporum suorum rationem valde mitigatam instauravit. Qua lege Sempronia, non nisi vi perlata, et altera de pecunia regis Attali pauperioribus dividenda in tantum optimatum odium in-

1) Cic. de Off. II, 21. Cf. Verr. II, 6.

2) Cic. de Leg. III, 16, pro Sest. 48.

cidit, ut, quum iterum tribunus creari vellet, auctore P. Scipione Nasica tumultu exorto, crudelissime periret. At graviorem sibi adversarium fratrem Caium experti sunt optimates. Hic enim annis 123 et 122 trib. pl. variis legibus vim eorum frangere studuit. Legem quidem agrariam, qua admodum delectabatur, sed minus mitem renovavit, tulitque praecipue ne de capite civis Romani iniussu populi iudicaretur: ut *semisse et triente*¹⁾ frumentum inopi plebi singulis mensibus daretur: ut vestes militi publice praebarentur: ut aetas militaris ab anno demum decimo septimo initium duceret: ut iudicia transferrentur a senatu ad eos, qui censu equestri essent: ut socii in primis Latini in civitatem reciperentur: ut novae coloniae deducerentur. Eodem vero ac frater cecidit fato. Anno enim 121 a L. Opimio consule oppressus cervicem servo praebuit, qui non segnius se ipse interemit quam domino succurrerat.²⁾ Optimates igitur ex contentioneibus Gracchorum victores discesserunt, male vero victoria usi sunt et idcirco vi paulatim exciderunt.³⁾

Quanta eo tempore fuerit optimatum corruptela et quo modo ex hac ipsa denuo creverit plebis auctoritas, bellum Iugurthinum nobis etiam atque etiam contemplandum præbet. Iugurtha enim bello Numantino probe edoctus Romae omnia esse vñalia, sublatis Hiempse

1) Ita in Liv. Ep. 60, sed recte Rudorff, Röm. Rechtsg. I, 44 ibi legendum esse censet *senis cum triente* ($6\frac{1}{3}$ As) Cf. Mommsen, Röm. Ges. II, 103.

2) De Gracchis eff. in primis Plut. in Gracc. App. B. C. I, 9 sqq. Liv. Epit. 58, 60. Velleius Pat. II, 2 sqq. Flor. III, 13 sqq.

3) Sall. Iug. XLII. App. B. C. I, 27.

atque Adherbale, ut ipse placide Numidiae regno frueretur, ad bellum, anno 111 instigante plebe a Romanis ipsi illatum, non tantum retardandum, verum etiam omni vi privandum, immensis a Micipsa relictis usus est pecuniis. Quibus haud restitit ardens nobilium avaritia. Et consul L. Calpurnius Bestia et eius legatus M. Aemilius Scaurus ad bellum adversus eum gerendum in Africam missi, auro corrumpi se passi sunt. Quam sordidam tantorum virorum avaritiam aegerrime quidem, sed prudenter et modeste, moderante tribuno Memmio, plebs tulit. Nuncio autem exercitus, imperitia A. Postumii Albini, foede sub iugum missi accepto, mirum quantum crevit populi indignatio. Iam ne Metelli quidem integritas et belli peritia impedire potuerunt, quominus optimatum factio frangeretur. Cui duci rem inde ab anno 109 strenue in Africa gerenti, Iugurthae copiis non semel fusis, imperium una cum victoria praeripuit legatus eius Marius, vir, si quis alias, vere popularis, nobilium adversarius acerrimus, a literis graecis omnique humanitate abhorrens, qui rei militaris peritia ac fortitudine, exagittando nobiles plebique blandiendo, civium oculos in se converterat. Anno igitur 107 consul creatus cum imperio in Africam missus est, ubi anno iam sequenti, Iugurtha Sullaे quaestori a Boccho per proditionem tradito, bellum confecit. Quo finito splendidissimum egit triumphum, quem ipse Iugurtha vincetus illustravit, cuius tamen triumphi laetitiam, si non sustulerunt, certe dimiserunt bellicac Sullaे laudes, prima illa primi belli civilis semina. Interim Cimbri et Teutones, fertiles agros aucupantes, innumeris cum copiis Galliae gentes debel-

laturi descenderant, Romanisque, hoc malum avertere conantibus, multum negotii atque periculi facessiverant atque etiam tum faccsebant. Quamobrem illi, tribus cladibus acceptis, unum Iugurthae victorem tot hostibus parem fore existimantes, Mario iterum consuli Galliam deereverant provinciam, quam una cum consulatu quatuor annos continuos obtinuit, donec hanc quoque ruinam urbi iamiam imminentem avertit. Cuius rei ut perpetua exstaret memoria, grati cives ci insigne tertii Romae conditoris cognomen dederunt. Anno 100 non nisi largitione sextum consul, favendo Glauciae et Saturnini, quem Cicero insitivum Gracchum vocat,¹⁾ consiliis magnum optimatum odium suscepit; deinde vero suam ab amicorum causa separans, ne plebis quidem invidiam a se removere potuit. Itaque sola arte imperatoria in patria stare se posse expertus est, atque Mithridatem ad bellum cum Romanis gerendum incitaturus peregre profectus est. Novum tamen Romanis anno 91 ab ipsis sociis, plena civitatis iura armorum vi sibi expertentibus, imminens periculum fecit, ut arma denuo pro patria sumeret. In quo bello sociali quum Sulla primas ageret, invidia Marii superioribus belli conflata in tantum crevit modum, ut incendium non posset non brevi exardescere inter hos non nisi dominandi studio sibi similes viros. Exarsit vero anno 88 imperio belli Mithridatici a senatu Sullae mandato, cuius administrandi spem Marius, in eius locum a plebe auctore Sulpicio suffectus, non prius abiecit, quam adversario, armorum vi urbe potito, proscriptus cedere so-

1) Pro Sest. 47.

lumque mutare coactus est. Brevi vero post quum Sulla, rebus Romae ordinatis, in Graeciam esset profectus, Marius a Cinna revocatus, iterum rerum potitus crudelissime in optimates saeviit, ac septimum, sicut harspex ei iuveni praedixisse fertur, anno 86 consul creatus, repente diem obiit supremum.¹⁾ Quo mortuo et Cinna duobus annis post a militibus interfecto, Sertorius, qui Marianis favebat, Sullae adversarium se praebuit acerrimum; sed fortuna his adversante, ut sibi suisque post cladem locus tutus esset, abiit in Hispaniam.

De quo viro quoniam agere constituimus, requiritur profecto, ut veteres scriptores, qui nobis duces sunt, commemorentur, deque Plutarchi, cuius ipsa ad nos pervenit Sertorii vita, in huius rebus exponendis auctoritate dicatur. Et Sallustii quidem Historiae, si integrae nobis superessent, primo ac praecipuo loco attendendae essent, quum omnium, qui nobis fontes sunt, Sallustius aetate Sertorio proximus fuerit, nec ulli certe auctori vel seria tractandi ratione vel auctoritate cedat. Valde igitur dolendum est, nobilissimos illos Historiarum libros, quibus et alia bella gravissima et vero Sertorianum exposuit, temporis iniuria periisse, nec nisi fragmenta nobis superesse. Gravior tamen illorum iactura esset, nisi constaret, alios scriptores, quorum de Sertorio memoria exstat, ex iis tanquam ex primario fonte hausisse. Plutarchum quidem ex iis abunde profecisse et multi eius loci cum fragmentis collati perspicue ostendunt, et Valerii Maximi, quae exstant de Sertorio, narrationes et facta ab A. Gellio

1) De Mario et Sulla eff. Plut. in eorum vitis, et App. B. C. I. 55 sqq.

cervae albae mentio, quae pariter apud Plutarchum reperiuntur, luculenter confirmant, quum ille Sallustio plurimum sit usus, hic praeterea duo eius de Sertorio fragmenta servarit.¹⁾ Quin probabilis coniectura est, Plutarchum ex uno potissimum Sallustio hausisse, quum ne ullum quidem alterius adhibiti scriptoris vestigium usquam appareat, et filum orationis continuum unum tantum fontem prodere videatur.²⁾ Quandoquidem vero ille rationem politicam ethicae postponit, et idcirco narrationes quidem integras, totam vero vitam non nisi imperfectam exhibet, nobis, ut totius vitae imago exprimatur, alii etiam adeundi sunt auctores. Praeter Val. Maximum et Gellium, de quibus iam diximus, fons nobis est Livius, Sallustio aetate suppar, cuius praeter Epitomas consulendum est fragmentum libri XCI, quod primum a Giovenazzio et Brunsio anno 1773, deinde a Niebuhrio anno 1820 ex codice vaticano plenius editum esse constat. Neque

1) Heerenus, auctor minime spernendus, in Comment. de fontibus et auctoritate Plutarchi p. 99 et 155, ex loco Plut. in vita Demosth. c. 2. perperam effecit, eum ob exiguum linguae latinae peritiam non facile ex Sallustio proficere potuisse. Etsi illi non tanta fuerit peritia ut in intimam huius sermonis rationem penetrare posset, inde tamen ne eruas, ei scriptores Latinos intelligendi facultatem defuisse. Cf. H. Peter „die Quellen Plutarchs in den Biographieen der Römer,” Halle 1865, p. 61.

2) Nonnulli, in quibus Müller, Hist. Graec. fragm. III, 471 ex loco Plutarchi in vita Sertorii c. 9: „ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἀνακτεῖθαι τῇ Ἰόβᾳ χάριτοῦ πάντων ιστορικῶταν βασιλεων. ἐκείνου γάρ ιστοροῦσι τοὺς προγόνους Διοδώρου καὶ Σέφαχος ὀπογόνους εἶναι” efficiunt, eum Iubae historiam ante oculos habuisse. At egregie falluntur. Plutarchus enim his verbis id unum indicat, se in honorem Iubae narratiunculam de Antaco inseruisse, neutiquam vero, se illam ex eius opere hausisse. Cf. Peter l. l. p. 63 et 64.

spernendus Appianus, sed, quum fontes, unde in his profecerit, non omnino noti sint, prudenter nec sine diligentissima eius locorum cum iis, quae alii tradunt, comparatione adhibendus est. Tandem hic illic praesto nobis sunt Velleius Paterculus, Florus, Frontinus, Orosius alii, de quibus h̄c plura dicere nihil attinet.

C A P U T I.

DE SERTORII IUVENTUTE, MILITIAE RUDIMENTIS DEQUE
REBUS CUM ALIBI TUM IN HISPANIA PRAECLARE AB
EO GESTIS AD POMPEII ADVENTUM.

Quintus Sertorius Nursiae,¹⁾ in oppido Sabinorum, loco
haud insimo,²⁾ sub annum 122 natus,³⁾ patrem mature

1) ἐν πόλει Νούσαις, ut iam recte scripsit Leopold in ed. Sert. c. 2. pro
vulg. ἐν πόλει Νούσαις, cuius nominis oppidum nullibi occurrit. Cf. Pauly
Real-encycl. der class. Alterthumswissenschaft, v. Sert. — Recentiores
autem edit. Sintenis et Dochner perperam Νούσαις servarunt.

2) Miror, Leop. Sallustii verbis apud Gell. N. A. II, 27 eam vim
tribuisse, ut particulam οὐκ apud Plut. haud dubie ex interpolatione
ortam esse contenderet. Evidem, fragmento Sallustii cum Plutarchi loco
diligenter collato, Sertorium arbitror non quidem nobili sed tamen honesto
genere ortum fuisse.

3) Etsi, quo anno Sertorius natus fuerit, non omnino constat, facilis
tamen ei satis probabilis hac de re suspicio ducitur ex Plut. in vita Sert.

amisit. Quam iacturam, qua saepius egregias ingenii animique virtutes excolendi via paocluditur, ne aegre ferremus, mater efficit Rhea. Quae monere illum assidue et adhortari non desiit, ut omnem operam in studiis poneret et strenue ad verae honestatis laudem adspiraret. His tenerrimae matris curis non defuit Sertorius, sed summa ope natus est, ut pietate sua tanto amori responderet. Amavit autem Rheam amore tam singulari, ut, quum munere imperatorio iam fungeretur, labentissime ad reliquam vitam cum ipsa in otio degendam privatus Romam habitatum secessurus fuisse, et vero, nuncio mortis accepto, non nisi vi coactus vivere pergeret.¹⁾ His iam artibus instructus, quibus actas puerilis ad humanitatem informari solebat, animum ad causas forumque convertit et iurisprudentiae operam navare coepit. Quam non leviter, sed tam acri arripuit studio, ut μειόδατον ἦν in urbe Roma causis dicendis non vulgarem laudem aut commendationem ingenii sui ferret.²⁾ Ab hoc tamen studiorum genero mox eum avocarunt quaedam paoclare ac strenue gesta in re militari.³⁾ Natus enim ad militem insignibus corporis animique dotibus, opportunitate data, dubius haerere non potuit inter Themidis et Martis castra. Et in his quidem corporis velocitate ac robore, adsidua accedente exercitatione, incredibili

c. 3, ubi eum prima stipendia sub Q. Servilio Caepione fecisse tradit. Jam vero huius expeditio in annum 105 incidit, unde aetatis militaris ratione habita sponte sequitur, natales eius in annum fere 122 esse coniiciendos.

1) Plut. Sert. 2, 22.

2) Plut. l. l. 2. Cic. Brut. 48.

3) Plut. l. l.

porro animi virtute, consilio et calliditate ingenii gradatim ad tantum adscendit gloriae culmen, ut modo cum Eumene, modo cum Hannibale, interdum cum Philippo et Antigono a veteribus compararetur.¹⁾ Hi quatenus rem acu tetigerint, ipse velim iudicet lector; nos vero pergitus.²⁾

Primum stipendia meruit Cn. Mallio Maximo consule et Q. Servilio Caepione proconsule anno 105 adversus Cimbros et Teutones belligerantibus. Quo bello discordia ducum multis Romanorum milibus apud Arausionem caesis, Sertorius fuga sibi consulens, quam robustum laborumque patiens sibi exercitatione acquisivisset corpus, haud dubie ostendit. Equo enim amissio, flumine adverso, armis onustus, summo cum labore tandem Rhodanum traiecit.³⁾ Bello deinde renovato adversus eosdem, qui iterum innumeris cum copiis et pessima quaque minitantes irruerant, quum magnum esset, parvula haud abiecta, in acie consistere et morem gerere belli duei, ipse sponte sua a Mario, cuius auspiciis ductus hoc bellum gerebatur, hanc sibi depoposcit provinciam, ut hostium consilia exploraret. Nec vero venia impetrata iuvenili abreptus est impetu, sed prudenter et considerate speculatoris munere functus est. Veste Celtica, ne agnosceretur, indutus, quum vocabula linguae Celticae didicisset usitatissima, quorum usu pro re nata

1) Plut. I. l. 1, et comp. Sert. c. Eum. 1, 2, App. B. C. I, 112.

2) Evidem si quid video, quodammodo etiam Fabii Cunctatoris imaginem refert; persuasum enim sibi habebat, patientia difficillima quaque perfici omniaque cedere prudenti adsiduitati. Cf. Plut. I. l. 16.

3) Plut. I. l. 3.

brevem consereret sermouem, barbarorum copiis se immiscuit, ubi postquam alia videndo alia fando accepit, ad castra rediit cunctaque cum summo belli duce communicavit. Marius lubentissime iuvenem heroëm magnifice pro concione laudavit insignibusque eum donavit virtutis praemiis. Quibus ad optima quaeque incitatus, reliquo bello rei militaris peritia et vero maiore in dies virtute bellica sibi imperatoris fidem conciliavit.¹⁾ Magna deinde gloria tribunus militum fuit in Hispania Tito Didio anno 97 huius provinciae proconsule eodemque adversus Celtiberos feliciter pugnante.²⁾

Quo bello Castulone hiematum est, ubi ex perfidia ipsorum hostium non parum crevit Sertorii laus bellica. Huius urbis incolae, quos Romanorum ex omnium rerum copia exortae libidinis vehementer taedebat, noctu Orisiis in societatem facinoris vocatis, in acdes irruunt et Romanorum quoscunque possunt trucidant. Sertorius fuga sibi consultit collatisque omnibus, qui ex hostium manibus erant erepti, barbarorum incuriam in rem suam vertit et, urbe denuo potitus, incolas armis ferendis pares ad unum omnes interimit. Tum milites, suis cum hostium armis et vestibus mutatis, illuc proficiisci iubet, unde Castulonis incolis noctu auxilio venerant Barbari. Sertorio cum exercitu appropinquenti Orisii, specie decepti, numero multi obvii facti sunt, omnia suis ex voto evenisse autumantes. Brevi vero experti sunt, rem sibi esse cum hoste acerrimo vindictam spirante ob caudem

1) Plut. I. 1.

2) Plut. I. 1. Sall. Hist. I, 55 ed. Dietsch, App. Hisp. 99. Liv. Ep. 70.

suorum; longe enim maior pars prope portas caesa est, reliquos ille vendi iussit. Dici vix potest, quanto opere Sertorius hac re praeclare gesta in ipsa Iberia inclaverit. Hinc Romam redux et quaestor creatus in Gallia, quae Pado circumiacet,¹⁾ „magno, ut ait Sallustius,²⁾ usi bello Marsico paratu militum et armorum fuit, multaque tum ductu eius manuque patrata primo per ignobilatatem, deinde per invidiam scriptorum celata sunt. Quae vivus facie sua ostentabat aliquot advorsis cicatricibus et effosso oculo; quin illo dehonestamento corporis maxime laetabatur neque elisis anxius, quia relicua gloriiosius retinebat.”³⁾ Dolendum sane est, multa alia hoc bello a Sertorio gesta a scriptoribus silentio praetermissa esse. Quod cur factum sit, colligere licet e Sallustii loco laudato. Scriptores vero, ut Kritzii ad h. l. verbis utar, intelligendi sunt haud dubie Siscenna, Sullae nobilitatisque partibus addictus, ac Sulla ipse Sertorio infestissimus, quorum hic in commentariis de vita sua, ille in historia belli Marsici et civilis de Sertorii rebus strenue gestis vel plane siluisse vel parum dixisse videntur.

At populus eum optime de patria meritum eximiis ornare laudibus gestiit. In theatro enim ab illo honorificentissime exceptus est, qui honor non nisi rarissime

1) Plut. I. l. 4.

2) Hist. I. l. ibique Dietsch. Cum Sall. loco eff. T. Castricij argutiae ap. Gell. II, 27.

3) Plut. I. l. ubi gloriandi rationem addit et c. 1, ubi hoc oris dehonestamentum commune ei fuisse cum Philippo, Antigono, Hannibale tradit. Hinc Claudius Civilis Sertorium se aut Hannibalem ferebat, teste Tacit. Hist. IV, 13.

et tantum aetate proiectioribus et eminentibus gloria tribuebatur.¹⁾ Nihilominus tribunatum plebis petens, adversante ei Sulla, repulsam tulit.²⁾ Qui quum anno 88 a senatu imperio belli Mithridatici ornatus, expulso Roma Mario, in Graeciam profectus esset, Sertorius Cinnae, factionis Marianae fautori, adversus Octavium, a Sullae partibus stantem, sese adiunxit, quo cum pugna commissa in foro cladem subierunt, sed brevi, collectis copiis per Italiam sparsis, vires, ut pares essent Octavio, restituerunt.³⁾

Marius, qui primum in paludibus Minturnensibus, deinde in ruderibus Carthaginis latuerat, ut audivit, consulem Cinnam adversus Sullam arma sumpsisse, anno 87 revocatus properavit in Italiam,⁴⁾ ab eoque in exercitum receptus est refragante primum Sertorio, deinde vero, ne fides data violaretur, consentiente.⁵⁾ Urbe potiti quum Marius et Cinna ultra modum in Sullanos saevirent, tantum abfuit Sertorius ut in crudelitatum omnis generis societatem veniret, ut, Marii furorem indigne ferens, Cinnam precibus etiam leniorem reddere conaretur. Quid, quod quater mille servos Bardiaeos in uno eodemque loco degentes, quibus tyrannidis satellitibus mirum quantum favebat Marius, ob petulantiam et libidinem in dominos summam interficiendos curavit?⁶⁾ Post Marii mortem cae-

1) Sall. l. l. fr. 56. Plut. l. l. 4.

2) Plut. l. l.

3) Plut. l. l. et in Mar. 41. App. B. C. I, 65.

4) Plut. l. l. 5. App. B. C. I, 67.

5) Plut. l. l.

6) Plut. l. l. et in Mar. 43.

demque Cinnae parum feliciter adversus Sullam, anno 84 pace cum Mithridate inita, e Graecia reversum pugnarunt Carbo, Norbanus et Scipio, Sertorius quum frustra suasisset, ne milites Scipionis et Sullae inter se colloquerentur, neve ipsi consules Sullae pacem affectanti eorumque copiis, quas corrumperet, appropinquantifiderent, exercitus tandem paucorum corruptione Sullae traditus est.¹⁾ Quod Appianus sic enarrat:²⁾ Sertorium a L. Scipione, habito cum Sulla sermone, ad collegam Norbanum missum, quem certiorem redderet de ipsis consilio pacem componendi, in itinere Suessam, Sullae partibus deditam, cepisse; quo audito, Sullam questum esse apud Scipionem, huncque obsides, quos brevi ante accepisset, reddidisse, exercitum vero indignatum de Suessa capta et de obsidibus, quippe qui repetiti non essent, redditis, universum transiisse ad Sullam. Sertorius haud ignarus, quantum ab eo timendum esset, nisi pariter ei obviam iretur, partium suarum vim omni, quo poterat, modo, sed frustra, tueri conatus est. Tandem de reipublicae salute desperans, et perspiciens, nihil quidquam praestare amplius se posse, in provinciam Hispaniam iam diu acceptam, sibi suisque perfugium comparaturus, profectus est.³⁾ Quoniam vero superiores praesides de ea decidere nolebant, plurimas ipse Romanis peperit molestias.⁴⁾ Eo iter faciens, multas nactus est tempestates. Quum autem non nisi pecunia barbaris data montes transitu

1) Sall. l. l. fr. 28 ed. Kr. Plut. l. l. 6.

2) B. C. I, 85.

3) Plut. l. l. 6.

4) App. B. C. I, 86.

difficillimos superare posset, comites vero a dignitate proconsulari abhorrire contenderent barbaris tale quid poscentibus cedere, nihil tempore pretiosius esse affirmans viro maxima quaeque animo volventi, praecclare sane ostendit, quid animus fortis ad finem propositum persequendum valeret.¹⁾

Ubi in provinciam venit, ita strenue, ait Iul. Exsuperantius²⁾, sociorum animos iam deficientes atque alia cupientes in favorem partium suarum modeste tuendo atque blandiendo perduxit, ut et carus esset et tamen ab omnibus timeretur.” Quod Sallustius sic breviter complecti videtur „Modico quoque et diligentim imperio percarus fuit.”³⁾ Saepius, ut Hispanos sibi conciliaret, „Hispaniam sibi antiquam patriam esse” dicebat.⁴⁾ Potentiores consuetudinis facilitate, plebem vero tributorum deminutione sibi conciliare studebat, in primis autem milites antea in oppidis degentes hibernis detinendo, vehementer ab omnibus diligi coepitus est. Interea tamen iuvenes Romanos armis ferendis pares quum ad militiam vocaret omnisque generis machinas bellicas construendas curaret, urbes imperio suo sabiectas tenebat.⁵⁾ Deinde de partium Marianarum interitu certior factus sibique persuasum habens brevi peritum belli ducem a Sulla victore sibi proscripto oppositum iri, ad occupanda Pyrenaeorum iuga Iulum Salinatorem cum sex millibus

1) Plut. I. I.

2) De Mar. Lep. ac Sert. bellis civil. C. 8.

3) Sall. I. I. fr. 64, ad q. l. cf. Dietsch I. I. p. 137.

4) Sall. I. I. fr. 59.

5) Plut. I. I.

graviter armatorum misit. Quod coniecit, eventu comprobatur. Nam non multo post C. Annius Luscus a Sulla missus ad Pyrenaeorum radices conspicitur. Ubi, spe omni abiecta fore ut Sertorianos superaret, consilii inops haesit, donec, Iulio per insidias nece a quodam Calpurnio illata, per inga montium praeter opinionem transitus ei paratus est facillimus. Duce enim amissō, multo plures terga vertunt, pauci tantum strenue resistunt. Sertorius, quum Annio par non esset, Carthaginem novam cum ter mille militibus petiit, deinde navibus delatus in Africam ad Mauritaniae littus appulit. Sed mox compluribus, qui aquandi causa parum prudenter egressi erant, necatis a barbaris, ad Hispaniam versus denuo mari se commisit, unde repulsus, praedatorias Cilicum naves nonnullas nactus, Pityusam (maiores), Annii praesidio vi depulso, petiit. Non ita multo post Annius ingenti cum classe et quinque graviter armatorum milibus appetet. Sertorius licet navibus levibus ad cursum non vero ad pugnam aptis uteretur, proelio tamen navalī huic resistere conatur. At mox temeritatis poenas luit; exorta enim tempestate, navium aliae paululum progressaque nimio simul et incerto onere, quum pavor corpora agitarat, deprimebantur,¹⁾ aliac propter levitatem transversae agebantur et fluctuum vehementia impingebantur rupibus.²⁾ Ipse cum paucis navibus et mari tempestatis vi et terra ab hostibus arcetur, decem adeo dies summo cum labore adversus fluctus luctatur.³⁾ Tandem venti impetu

1) Sall. I. 1. fr. 60.

2) Plut. I. 1. 7.

3) Plut. I. 1.

remisso, in insulas quasdam defertur sporades et aqua carentes, quibus relictis, traecto freto Gaditano, ad oram Hispaniae, quae a flumine Baeti Baetica dicitur, adpellit.¹⁾ Hic ut a nautis quibusdam felicissima quaeque audivit de insulis Atlanticis, quae Canaricae dicuntur, miro flagravit eas incolendi ibique quietam vitam ducendi desiderio. In his insulis describendis, quas beatorum sedem, Homeri carminibus inclutam, esse putarunt et hinc fortunatas dixerunt, multus est Plutarchus l.l., quem omnino dignus est qui conferatur Sallustius.²⁾ Nos vero, ne longius pro ratione proposita evagemur, ad historiam contexendam properemus.

Cilices quum nihil minus quam pacem atque otium in votis haberent, praedae vero et auri sacra fame mirum quantum arderent, Sertorii ad otium confugiendi desiderio perspecto, ad opem ferendam Ascali, quem in regnum Mauritaniae restituerent, in Africam decesserunt. Sed Sertorius animo non defecit, contra ne sui spem demitterent, neve inopia, quae iamiam urgeret, premerentur, Maurusiis adversus Ascalin pugnantibus auxilium ferre decrevit. Quos eius adventu magno affectos gaudio spes non fefellit; ingenti enim proelio devictum Ascalin ad urbem usque, cui Tingis nomen est, persequitur eamque obsidione cingit. Frustra Paccianus, a Sulla missus, Ascali succurrere conatur; a Sertorio profligatus ipse interficitur, eiusque exercitus tradere se iussus obsidentium numerum auget. Deinde urbem, quo Ascalis eiusque

1) Plut. l. l. 8.

2) l. l. fr. 61 et 62. Vid. Forbiger, Handb. d. alten Geogr. II, 890.

fratres confugerant, vi cepit, universaque regione potitus, incolas ipsius fidem implorantes in eamque se tradentes non tantum nulla affecit iniuria, verum muneribus a largientibus, pro eo atque aequum erat, acceptis bona, urbes, imperium, caetera omnia iis reliquit.¹⁾

Eiusmodi praeclarorum facinorum fama longe lateque sparsa, Lusitani, qui specie Romanis subiecti ardentissimis exoptabant votis ut amissam recuperarent libertatem, et continuis cum Hispaniae Baeticae rectoribus distrahebantur litibus, tempus caedis Viriathi ulciscendae sibi iam oblatum esse censuerunt. Quamobrem in Africam ad Sertorium, hoc ipso tempore quo arma verteret animo volventem, legatos miserunt, qui ei summum mandarent imperium eumque secum in Lusitaniam navibus deveharent.²⁾ Quum viginti circiter annis ante, Tito Didio imperante, in Hispania tribunus militum fuisset et proinde huius regionis subsidia optime nosset, precibus eorum cessit, atque „levi, inquit Sallustius,³⁾ praesidio relicto in Mauritania, nanctus obscuram noctem aestu secundo furtim atque celeritate vitare proelium in transgressu conatus est.” At Romanorum classis, duce Cotta Annii legato, freti Gaditani oram observabat. Apud Mellariam inter Belonem et Calpen sitam pugna navalis commissa est, qua Gottam Sertorius devicit.⁴⁾ „Transgressos, teste Sallustio,⁵⁾

1) Plut. I. I. 9.

2) Plut. I. I. 10.

3) Hist. I. I. fr. 65, ad q. 1. cf. Kr. p. 95. ed. 1853.

4) Plut. I. I. 12.

5) I. I. fr. 66, ubi Kr. ed. I. ex Servii ad Verg. Aen. I, 518 montis nomen *Balleia* inseruit. Cf. etiam Dietsch ad h. I.

omnis recipit mons *Balleia* paeceptus a Lusitanis. At per omnem provinciam magnae atrocesque famae, quum ex suo quisque terrore quinquaginta aut amplius hostium millia, novas immanis *formas*, oceani accolias, corporibus hominum vesci contenderent.¹⁾ Quae verba, ut rite animadvertisit Kritzius, ad Sertorium spectant, qui ex Mauritania in Lusitaniam regressus Mauris secum adductis maximo adventus sui terrore Romanos in provincia complevit. Quod ne cui mirum videatur, attendat quaeso Mauros ore, colore, universa corporis forma atque habitu, ad hoc vietu cultuque a ceteris hominibus discrepantes ἀνθρωποφάγους a Romanis habitos esse.

Initio Sertorio viginti non amplius civitates adhaeserunt, neque, exercitum lustrans, duobus plus millibus militum reperit, quorum pars haud exigua ex transfugis constabat dediticiisve agminis Pacciani, partem quoque efficiebant Mauri Romanorum more armati.²⁾ Permagni sua interesse callidus ille imperator intelligebat, ut vagis turmis solidum copiarum Romano more instructarum robur adderetur. Quod ut efficeret, agmen secum delatum quatuor peditum millibus ac septingentis equitibus adauxit, cui Hispanorum, qui sua sponte militiae nomina dedecrant, additis turmis adversus Romanos profectus est. Ad oram Baetis Lucium Fufidium, qui propraetor Hispaniam Baeticam imperio tenebat, ita profligavit, ut bis mille Romanorum corpora solum tegerent cruentum.³⁾

1) I. I. fr. 67. In Dictschii ed. locus paulo aliter legitur, sed haud scio an non rectius.

2) Plut. I. I.

3) Plut. I. I.

Confestim M. Domitius Calvinus, Hispaniae citerioris praeses, de hac clade certior redditur, ut, quominus copiae Sertorianae longius progrederentur, pro modulo virium impediret. Mox etiam Q. Metellus Pius, dux spectatae virtutis, ut Fufidio inepto in Hispania ulteriori succederet, apparuit.¹⁾ In Hispania citeriori non tantum a quaestore L. Hirtuleio M. Domitii Calvini exercitus caesus est ipseque perit Calvinus una cum legato Thorio apud Anam,²⁾ verum etiam L. Manlius³⁾, Galliae transalpinae praeses, qui, ut collegae opem ferret, tribus cum legionibus Pyrenaeos transierat, profligatus animo tantum forti se neci eripere potuit et paucis stipatus militibus feliciter Ilerdam et inde in provinciam suam pervenit, omnibus in itinere impedimentis Aquitanorum incursione amissis.⁴⁾ Nec Metellus in Hispania meridionali fortuna usus est secunda. In Lusitaniam enim quum irrumperet et Lacobrigam obsidione premeret, Sertorius consilium eius urbem aquarum penuria ad deditonem urgendi, bis mille utribus aqua repletis, irritum fecit, partemque exercitus, cui praeerat Aquinus, ad frumentandum missam, insidiis exceptit, quo facto Metellus ab obsidione desistere et Lusitaniae agro cedere coactus est.⁵⁾

Haec belli Sertoriani initia, quibus Metellum Sertorio imparem fuisse novimus. Belligerandi nempc ratione,

1) Plut. l. l. et Pomp. 17. App. Hisp. VI, 101.

2) Liv. Ep. 90. Flor. 3, 22.

3) Quem Plut. Sert. l. l. minus recte L. Lollium vocat.

4) Sall. l. l. fr. 72. Caes B. G. 3, 20. Oros 5, 23.

5) Plut. l. l. 18.

vulgo guerrilla dicta, qua hic potissimum utebatur, ille haud adsuetus, quippe qui non nisi proelia acie instructa committere et graviter tantum armatos ducere didicisset, non poterat non summa urgeri inopia.¹⁾ Fulmine celerius, ubi credidisses copias diffugisse, magno cum exercitu apparere: modo esse hic, modo illic: ubique adesse et nullibi: nunc persequi, nunc capessere fugam: viarum notitiam adsidue vagando et venando, quam per otium licet, sibi comparare accuratissimam: constanter subtrahere se omni iusto proelio: intercludere hostem commatibus: sedentem de loco excitare, obsidere obsidentem: vitam agere ignis expertem et sine tentoriis: legatorum clades non tantum reparare, verum etiam in suum vertere commodum: hostem denique omni modo premere, vexare, conficere: — haec profecto norat Sertorius, non norat Metellus.²⁾ En Sertorii arma, quibus non tantum adversus Metellum verum etiam adversus Pompeium saepe par, vel frequentius, ut Livii verbis³⁾ utar, victor exstitit. Praeterea Metello iam seniori et ex multis magnisque certaminibus propenso ad vitam molliorem res erat cum Sertorio, qui aetate florebat et vita temperanti ac laborum plena corpus sibi comparaverat robore et celeritate excellens.⁴⁾ Unde efficere licet, clades Metello illatas non unice huic esse tribuendas, et, ut iustum feras iudicium, magis laudandum esse Sertorium, quam reprehendendum

1) Plut. I. I. 12.

2) Plut. I. I. 12, 13, 19. Pomp. 19.

3) Ep. L. 96.

4) Plut. I. I. 12, 13, 18, 19, 21, 22. Pomp. 17, 18. Sall. Hist. II. fr. 23.

Metellum, quum ne Pompeius quidem hoc aetate multo minor ac temperanti vitae ratione conspicuus illi par fuerit. Quo vero melius, unde hi prosperi Sertorii successus nati sint, perspiciamus, rationes, quibus Hispanorum animos sibi conciliaverit, in primis sunt attendendae. Oscae, urbe Hispaniac Tarragonensis, prope Ilerdam nobilissimos Hispanorum iuvenes suis impensis erudiendos literis graecis et latinis curabat, quorum exercitationibus saepe adorat progressusque praemiis ipse decorabat. Simulabat quidem se id unum agere, ut aliquando aratum liberalium cognitione imbuti civitate donarentur rebusque practicerentur, revera autem eos obsides tenens sine odio Hispanos arctius sibi obstringere conabatur. Iam vero sponte intelligitur, quanto gaudio ea res compleverit tacita principum Hispanorum pectora tot impensas tamque teneras curas in institutionem puerorum conferri cernentium.¹⁾ Magnas quoque in armaturam impensas faciebat, ut barbari galeis et scutis auro et argento distinctis splendidisque vestimentis essent conspicui; qua re illi et mirum in modum delectabantur et ad nobilem accumulationem maioremque in dies fortitudinem incendebantur.²⁾ Tum superstitione, qua animi eorum imbuti erant, callide utebatur. Qua de re Gellius N. A. XV, 22, „illud, inquit, Sertorii nobile est: cerva alba eximiae pulchritudinis et vivacissimae celeritatis a Lusitano ei quodam dono data est. Hanc sibi oblatam divinitus et instinctam Dianaे numine colloqui secum monereque

1) Plat. I. I. 14.

2) Plat. I. I.

et docere, quae utilia factu essent, persuadere omnibus instituit: ac, si quid durius videbatur, quod imperandum militibus foret, a cerva sese monitum praedicabat. Id quum dixerat, universi, tanquam si deo lubentes parebant.”¹⁾ Nec vero, ubi opus esset, mendaciis abstinebat omnis generis, ut testis nobis idem est scriptor: „Is in temporibus difficillimis mentiebatur ad milites, si mendacium prodesset, et literas compositas pro veris legebat et somnium simulabat et falsas religiones conferebat, si quid istae res eum apud militum animos adiutabant.” Non est itaque quod miremur, Lusitanos in primis Sertorium alterum Viriathum, numen adeo divinum, habentes, ad hoc libertatis amantissimos maxima alacritate numero licet inferiores adversus Romanos pugnasse eosque ad incitas redegisse. Quin nonnumquam eorum pugnandi ardor temeritati iunctus moderatione egebat. In qua adhibenda quanta prudentia versatus sit, ex nota de eo narratricula efficere licet. Aliquando quum barbaros inconsulte pugnam exposcentes oratione flectere non posset, tandem turmae equitum ad lacessendos hostes ire permisit, laborantique submisit alias et siccepit omnes. Ne vero animis deficerent, coram universo exercitu duos produxit equos, alterum gracilem, senem et infirmum, alterum pingue, aetate florentem, validum et caudam densis pilis ornatam habentem. Huic iuvenem parvum atque imbecillum, illi virum grandem et robustum adstare iussit. Signo dato quum robustus totam caudam simul ex-

1) Cf. de hac cerva Plut. I. l. 11, 20. App. B. C. I, 110, Plin. H. N. VIII, 32. Val. Max. I, 2. Front. I, 11.

trahere frustra conatus non nisi risum moveret, debilis singulis pilis sensim paulatimque evulsis facilis negotio sui equi caudam spectantibus nudatam ostendit. Tunc barbarae concioni, quorsum ea res tenderet cognoscere cupienti, explicavit Romanorum cohortes insuperabiles esse univcrsas aggredientibus, easdem vero qui per partes attentaret, lacerare et carpere posse.¹⁾ Sic rudes eorum animos excolebat aurci memor praecepti: longum per praecepta, breve per exempla est iter. Et pedetentim quidem ad tantam rei militaris scientiam eos promovit, ut postea, c Cantabrorum regione auxiliis ab Aquitanis arcensitis, ii potissimum duces deligerentur, qui una cum Q. Serterio omnes annos fuissent, summamque scientiam rei militaris habere existimarentur.²⁾ Ne tamen quis putet, eum hac mente barbarorum animos sibi devinxisse huiusque artis peritia imbuuisse, ut ad perniciem reipublicae romanae incumberet, ulterius nobis progrediendum est. Trecentos ex amicis Senatoribus profugis in concilium adscivit, quos senatum romanum vocavit, non in Romanorum patrum contumeliam, sed ut ad exemplum senatus romani sanctissimum institueret concilium, quod de re quavis maiore deliberaret, quum ipse tanquam consul saluti reipublicae propiciens, illud de rebus gerendis consuleret.³⁾ Ex illis quaestores et legatos sibi creabat, illis civitates Hispaniae administrandas dabat, illos denique omni quo poterat modo honoribus cumulabat, quum Hispanis, quorum opibus

1) Plut. I. I. 16. Val. Max. VII, 3. Front. I, 10. et IV, 7.

2) Caes. B. G. III, 23.

3) App. B. C. I, 108, B. Mithr. 68, R. Hisp. VI, 101; Plut. I. I. 22, 23.

bellum gerebat, ne nomine quidem summi imperii societatem concederet, quippe qui non cum Romanorum detrimento augere Hispanos, sed, hos sibi suisque conciliando, libertatem illis restituere vellet.¹⁾

Quae voluntas quam sincera firmaque esset, paeclare foedere cum Mithridato facto, ut postea videbimus, ostendit. Iam vero aut egregie fallor, aut ex eiusmodi agendi ratione colligere licet, Sertorium non in patriam ipsam saeviisse. Saeviit in optimates, bello persecutus est factionem, quam nocuisse reipublicae bello Iugurthino novisset et adhuc favere tyrannidi crederet; patriam vero ipsam non nisi invitus, eam ut optimatum iugo liberaret, armis petiit, nec semel ab iis cessandi voluntatem significavit, modo aequae essent pacis conditio-nes sibique vel privato reliquam vitam in patria una cum matre amantissima secure degere liceret. Sullani vero ab omni reconciliationis specie abhorrentes, ut in via inita semper longius quam ipse vellet progrederetur, sua ipsorum pertinacia effecerunt.²⁾ In qua quo eventu Sertorius progressus sit, enarrare pergo.

1) Plut. I. I. 22.

2) Plut. I. I.



C A P U T II.

DE SERTORII REBUS GESTIS A POMPEII IN HISPANIAM
ADVENTU AD CONIURATIONEM IN ILLUM
FACTAM.

Anno 77 optimatum factio de M. Aemilio Lepido, qui anno superiore consulatum gerens, popularium partium studiosus, Sullae instituta evertere conatus erat, insigne reportavit victoriam. Qui quum, multas clades per pessus, in Sardinia diem obiisset supremum, Perpenna¹⁾ cum copiarum reliquiis multisque pecuniis ex Sardinia in Hispaniam transvectus est.²⁾ Quibus, exercitu Sertoriano reluctantate Perpenna adauerto,³⁾ Sertorius in dies crescens tandem in ipsam Italiam bellum translaturus

1) De scriptura *Perperna* cf. Drum. Gesch. Roms IV, 358b.

2) Iul. Exsup. l. l. C. 7. App. B. C. I, 108, Plut. l. l. 15.

3) Plut. l. l.

videbatur. Verum senatus id pertimescens novas copias duce Pompeio, cuius fama rebus sub imperio Sullae tam in Italia quam in Africa gestis aetatem longe superabat, Metello auxilio misit.¹⁾ Et optimates quidem belli Sertoriani periculo magis magisque imminente impedire non potuerunt, quominus Pompeius undetriginta tantum annos natus nec nisi eques neglectis Sullae de magistratum creandorum ratione institutis, Hispaniam citeriorem provinciam obtineret. Iam Lepidi tumultu cogente, inviti iuvenem huncce, ne ullo quidem munere civili functum quin occultum partium suarum adversarium, extra ordinem summo ornarant imperio. Eadem vero hac aetate provinciam mandare gravissimam in tempus, ut coniicere licebat, incertum, optimatibus non poterat non multo esse molestius. Attamen quum neuter consulum illius anni cum Sertorio, duce peritissimo, bellum gerere cuperet,²⁾ nec quisquam inter Patres, ut dicere frequente senatu non dubitavit Philippus, par ei esset, Pompeio provinciam non tam petenti quam poscenti tandem pars maior metu compulsa cessit.³⁾

Hic igitur anno 77 exeunte, aut, ut alii statucre mālunt, 76 inceunte,⁴⁾ pro consule, vel potius pro con-

1) App. l. l.

2) Dio. XXXVI, 8, 10. Cic. Phil. II, 8.

3) Plut. Pomp. 17. Cic. de imp. Cu. Pomp. 21, Phil. l. l.

4) Quaestio, quo anno Pompeius in provinciam proiectus sit, perdifficilis quidem et obscura, at minoris momenti est. Mihi quidem, quoniam, Domitio Manlio ne profligatis et Sertorio virium accessione aucto, festinatione quam maxima opus fuisse videtur, prior opinio arridet. Hanc ipsam festinationem indicare videtur Pompeius in Epist ad senatum (Sall. II, fr. 96) his verbis: „diebus quadraginta exercitum paravi.”

sulibus cum triginta millibus peditum et mille equitibus¹⁾ Italia reicta iter in Hispaniam suscepit. Quod, auctore Appiano, fuit inter Padi et Rhodani fontes i. e. inter Alpes Graias et Penninas,²⁾ perque montes aliam ille atque Hannibal multoque opportuniorem viam patefecit. Alpinos conantes prohibere transitu concidit, montesque transgressus cum liberis nonnullis Gallorum stirpibus, a Sertorii fortasse emissariis excitatis, manum conseruit.³⁾ Quibus profligatis, Pyrenaeos copias traduxit in Hispaniamque anno 76 pervenit. Confestim Indigetibus et Laletanis sub protestatem redactis, Laurone etiam reconciliata, per agrum Valentiae cum Sertorio conflicturus properat.⁴⁾ Accepto vero nuncio Lauronem obsidione premi, ingenti cum exercitu, incolis opem ut ferat, advolat, eosque bono animo esse iubet, ratus sibi opportunitatem datam iam esse hostem cingendi. Discipulus vero Sullae, quod nomen ei iocose indebat Sertorius, subito in loco ad occupandum collem relicto sex millibus graviter armatorum conspectis, sero se egregie falsum esse vidit, nec Sertorium, ne a torso ipse pteretur, aggredi ausus est. Pabulatores quoque Pompeii callide interceptit Sertorius, decem adeo millia hominum aut certe integrum legionem concidit, qua ingenti clade factum est, ut ille a consilio

1) Oros. 5, 23.

2) B. C. I, 109. Cf. omnino Kritz ad Sall. Hist. fr. p. 197 ed. 1853, cuius disputatio pluris est quam sententia Mommseni, Röm. Ges. III, 26.

3) Sall. II, fr. 16 ibique Kr. p. 131 et fr. 96. Cic. de imp. Cn. Pomp. 11.

4) Sall. II, fr. 96. Plut. Sert. 18.

urbem obsidione liberandi absistere cogeretur.¹⁾ Incolae igitur spe omni abiecta Sertorio se dediderunt, qui, ut Pompeii laudatoribus os obtunderet, urbem incendio delavit, incolas vero ipsos, si credimus Plutarcho, liberos demisit, aut servos vendidit, si fidem tribuere ausimus Orosio.²⁾ Vix dici potest, quantos fructus haec victoria praeter omnium opinionem reportata ei tulerit. Multae civitates, quae, postquam Pompeius in Hispaniam pervenit, cum rerum novitate, ut fieri solet, tum fama et temperanti eius vitae ratione, multum a Metelli mollitie diversa, defectionem animo conceperant aut revera defecerant, nuncio Lauronis incendio deletae accepto, defectionis consilium lubenter missum fecerunt.³⁾

Appropinquante iam hieme, expugnata cum magna iactura militum quattuor et quadraginta diebus Contrebia, urbe Carpetanorum, relictoque ibi L. Insteio, ipse ad Iberum flumen copias adduxit ibique secundum oppidum,

1) Plut. l. l. App. B. C. I, 109. Sall. Hist. II fr. 15 ibique Dietsch. Front. II, 5. Oros. l. l.

2) Difficile est hac in re certi quid statuere. Etsi non nego fieri potuisse, ut Sertorius suum esse duceret severitatis exemplum non tantum in urbem ipsam verum etiam in incolas edere, quo alias a defectione absterret, Plutarchi tamen auctoritati plus tribuo:

1º Quod Contrebiae quoque, cuius expugnatio ei multo sanguine steterit, incolis pepereit;

2º Quod Plutarchus accurate versatus in iis, e quibus de indole clarissimorum virorum iudices, procul dubio in hanc rem diligenter inquisivit, nec, si alteram narrationem veram reperisset, admiratione Sertorii motus eam praetermisisset, quum vel caedem Oscae ab eo commissam memoriae tradiderit.

3) Plut l. l.

quod Castra Aelia vocatur, hiemavit.¹⁾ Huc legatos sociarum civitatum convocavit, quibus gratias ageret quoque, ne a suis discederent partibus, cohortaretur, et quibuscum, quae agenda essent, communicaret. Omnibus porro belli instrumentis paratis exercituque novis armis et vestimentis instructo, incunte vere anni 75 ad novam expeditionem se accinxit, legatis autem, ne acie cum hoste contendenter, interdixit; per tempus vero incautum ut aggredierentur et ita socias urbes tuerentur, p^raecepit.²⁾ Deinde M. Perpennam cum viginti millibus peditum, equitibus mille quingentis in Ilercaonum gentem misit ad ostium Iberi, ut, quominus commeatus subveheretur, impidiret. Eodem tempore Herennium magis Occidentem versus ad observandam oram maritimam, Hirtuleium vero in Baeticam adversus Metellum misit.³⁾ Vel hinc, quod obiter moneo, parum credibile videtur, quod tradit Appianus B. C. I, 110, Metellum hiemasse in Pyrenaeis; in ipsa potius Baetica, Pompeio in finibus Galliac Narbonensis hiemem agente, cum hiemasse puto. Tum ipse Sertorius Bursaonum, Cascantinorum et Gracchuritanorum agris vastatis ad Calagurrim Nasicam, sociorum urbem, venit, unde quum M. Masium in Arevacos ad conscribendos milites frumentumque comportandum et C. Insteium, praefectum equitum, in Vaccaeorum gentem ad equitum conquisitionem misisset, frustra in itinere impetu in Varciam, Beronum validissimam urbem, facto,

1) Liv. Fragm. L. XCI.

2) Liv. fr. laud.

3) Liv. l. l. Herennium vocat Herennuleum.

Contrebiam, quo et alii convenirent, petiit.¹⁾ Interim Metellus feliciter apud Italicam pugnat cum Hirtuleio, quem vulneratum in Lusitaniam compulit, caesis viginti fere millibus. Quandoquidem vero illi hac victoria transitus in Hispaniam citeriorem patebat, ubi suas cum Pompeii viribus coniungeret, Hirtuleius, contracta subito manu, ad transitum impediendum ultima quaeque experitus est, sed prope Segoviam gravissimas temeritatis poenas luit unaque cum fratre Quirino necatus est.²⁾

Quum igitur Metellus victor Valentiam progrederetur, Pompeius, profligatis iam apud hanc ipsam urbem Herennio et Perpenna prostratisque cum ipso Herennio decem adeo hostium millibus³⁾, Sertorio proclium obtulit, ut deleret maculam, qua proclio Lauronensi adspersus erat, solusque, si posset, speratam reportaret victoram.⁴⁾ Quam pugnandi opportunitatem hic lubentissime arripuit, timens, ne adventu Metelli nuntiove caedis Hirtuleii animi militum suorum frangerentur. Ad Sucronem signa contulerunt. In quo quidem proelio Pompeius ad alam dextram primum secundo Marte pugnavit, deinde vero, Sertorii adventu profligatus, vix nec nisi barbarorum, de pretiosis ipsius equi phaleris contendentium, pecuniae aviditate Orco ereptus est. Interim Afranius, ad alam sinistram victoria reportata, castra Sertoriana diripiebat. Mox vero Sertorius supervenit eumque magna

1) Liv. 1. 1.

2) Liv. Ep. 91. Flor. 3, 22. Front. 2, 7. Oros 5, 23.

3) Plut. Pomp. 18. Sall. II, fr. 96.

4) Plut. Sert. 19, Pomp. 19.

clade affectum in fugam vertit.¹⁾ Quin postridic pugnam cum Pompeio renovaturus erat, sed adventu Metelli, qui Perpennam castris exuerat, coniunctis copiis, proelium committere non ausus est. Itaque castra movit dicens, se, nisi anus illa advenisset, puerum Pompeium castigatum Romam missurum fuisse,²⁾ Deinde suos, ut a Romanis tuti essent, hue illuc in latebras his ignotas discedere iussit.³⁾ Ad metum, virium hostilium coniunctione divulgataque caesi Hirtuleii fama Sertorianorum animis incussum, accedebat ctiam, ut cerva alba, mansueta et libere vagari solita, qua tunc profecto ad barbarorum animos roborandos opus erat, nusquam compareret.⁴⁾ Sertorius hoc malum omen esse existimans, aegritudine affectus, ab armis desistebat nec, quod ipsi hostes hanc superstitionem cavillabantur, cordi habebat. „Neque multis diebus post, ut Gellii verbis utar, inventam esse cervam Sertorio nunciatur. Tum qui nunciaverat iussit tacere: ac, ne cui palam dicret, interminatus est: praecepitque, ut eam postero die repente in eum locum, in quo ipse cum amicis esset, immitteret: admissis deinde amicis postridic,

1) Plut. 1. 1. Liv. Ep. 92. App. B. C. I, 110, Pompeium hasta in femore periculose sauciatum esse tradit; Plutarchus vero non nisi de levi vulnere loquitur. Appianus etiam pro Afranio Metellum habet; sed is postridie demum ad Pompeium accessit.

2) Plut. Sert. 19, Pomp. 18.

3) Postquam Sertorius castra movit, Pompeius Metello obviam processit, eique appropinquant, quippe qui vir consularis esset et aetate antecolleret, fasces submitti iussit. Quod ne fieret, hic semper obstitit, nec, si unam tesserae dandae provinciam exeeperis, ulla iura sibi servavit. Plut. Pomp. 19, Front. 2, 1.

4) Plut. Sert. 20, Gell. XV, 22. App. B. C. I. I.

visum sibi esse ait in quiete, cervam, quac perisset, ad se reverti, et, ut prius consueverat, quod opus esset facto, praedicere. Tum Sertorio, quod imperaverat, significante, cerva emissa in cubiculum Sertorii introrupit, clamor factus, et orta admiratio est." Barbari primo perculti, ut ait Plutarchus, mox ovantes et laetissima quaeque sperantes imperatorem ad tentorium deducunt. Militum igitur animis firmatis, Sertorius novis cum copiis in planitiam a parte meridionali Sagunti sitam descendit. Ad flumen Turiam,¹⁾ unde proelium Turiense audit, pugna est commissa, acriterque a meridie ad noctem usque dimicatum est. Sertorius, teste Appiano, ex equo pugnans Pompeium vicit, hostium circiter sex millibus interfectis, suorum dimidio fere numero amissos. Metellus vero Perpennae cladem attulit, ex eiusque militibus ad quinque millia occidit. At postero die Sertorius cum multis barbaris sub vesperam inopinato Metelli castra adortus est, ut ea circumvallaret, sed Pompeii adventus impedivit quominus id perficeret²⁾

Anno 75 ad finem vergente, Metellus in Callaeciam hie-matum secessit, Pompeius vero Clunia, civitate Arevacorum clarissima, ad quam Sertorius confugerat, frustra ob-

1) Plut. I. l. 19 Τούριαν mutandum esse in Ταυρίαν iamdudum monuerant nonnulli interpres. Neque illa de causa falsam lectionem servarunt recentiores editores. Cf. Sall. II, fr. 18, et quac de hac pugna bene praecepit Kr. in ed. Sall. a. 1853, p. 199 seq.

2) App. B. C. I, 110, Plut. I. l. 21 ubi Metellum, caeso iam Memmio, legato Pompeii maxime insigni, aegre nec nisi militibus certatim annientibus mortem effugisse egregie narrat. Ex duobus vero proeliis ad flumen et ad castra unum fecit.

sessa, ¹⁾ cum copiis defatigatis in Vaccacorum agrum se contulit. ²⁾ Ubi gravem agens hiemem, postquam in summa frumenti et pecuniae inopia iam saepius frustra a senatu auxilium imploraverat, precibus minas adiecit scripsitque cum copiis se in Italiam redditurum esse. Quibus minis territi Patres anno sequenti, Lucullo in primis auctore, qui timebat, ne Pompeius in Italiam transgressus imperio belli Mithridatici sibi praerepto ornaretur, pecunias illi decreverunt et duas alias legiones in Hispaniam miserunt. ³⁾

Eodem fore tempore, quo Pompeius epistolam misit ad senatum, Mithridates, populi Romani hostis acerrimus

1) Liv. Ep. 92.

2) Plat. l. l., ubi tradit Metellum *εἰς Γαλατίαν* abiisse; quod quum propter verba in epistola Pompeii (Sall. l. l.) obvia parum credibile videatur, pro „Γαλατίαν” puto legendum esse „Καλαύδιαν.”

3) Plut. l. l. Pomp. 20 Lucull. 5. App. B. C. 1, 111. Exstat Pompeii epistola in Sall. fragmentis l. l. Cuius verba si Sallustii sunt, argumentum procul dubio cum Pompeii ingenio ipsisque eius litteris congruit. Ut vero ex ea epistola in rebus cognoscendis proficiamus, summa opus est prudentia. Sic v. c. quod imperii nomen modo sibi mandatum esse refert, id non verum esse appetet ex Plut. in Pomp. 17. Tum vana sunt verba, quae subsequuntur „hostisque in cervicibus iam Italiae agentis ab Alpibus in Hispaniam summovi” nam, ut Kritzius recte monet, illi *hostes in cervicibus iam Italiae agentes* non alii erant, quam montanae quaedam gentes, de Alpibus in transcenrem exercitum hic illic impetum facientes eiusque iter interdum morantes. In rebus etiam anni 75 memorandis, teste eodem, Pompeius non iustum ordinem sequitur; nam quac prima fuit pugna apud *Valentiam* (Plut. Pomp. 18), eam postremo loco affert, quia, quum sine suo damno vicisset, longe gloriosissimam habuit; tum pugnatum apud *Sucronem* (Plut. l. l. 19), deinde ad flumen *Turiam* et *Saguntum* (cf. fr. II, 24—28).

minimeque spernendus, per legatos cum Sertorio egit.¹⁾ Etenim aegre ferens iacturam provinciac, quae Asia dicebatur, ad hoc Sertorii incluta fama speciosisque aulicorum, ipsum cum Pyrrho Sertorium cum Hannibale comparantium, verbis motus, de foedere ineundo egit hisce conditionibus: ipse pecuniam navesque daret ad bellum gerendum: Sertorius contra praestaret, ut rex totam Asiam, quam, foedere cum Sulla inito, Romanis cessisset, firma in posterum ditione teneret. Sertorius cum legatis ita locutus est,²⁾ ut suam causam ab honestate et patriae amore non seiungeret. Quum enim, teste Plutarcho, senatores hac de re deliberandi gratia convocati, ad unum omnes, conditiones ratas esse habendas censuerint, quoniam Mithridates titulum et decretum inane peteret de iis rebus, quas concedere penes ipsos non esset, promitteret vero, quac magno usui forent; unus Sertorius restitit, Bithyniam enim et Cappadociam occupanti Mithridati so non invidere dixit, provinciam vero, qua, licet iure possessa a Romanis, rex potitus ac deinde a Fimbria privatus esset, quamque, foedere icto cum Sulla, cessisset, denuo in eius venire potestatem numquam passurum se esse asseveravit. „Δεῖν γὰρ, ut ait Plutarchus, αὐξέσθαι τὴν πόλιν ὑπ’ αὐτοῦ κρατοῦντος, οὐκ ἐλαττώσει τῶν ἐκείνης κρατεῖν αὐτὸν. Γενναῖω γὰρ ἀνδρὶ μετὰ τοῦ καλοῦ νικᾶν αἱρετόν· αἰσχρῶς δὲ οὐδὲ σάζεσθαι. Quem nuncium stupore percussum accepit Mithridates;

1) Plut. Sert. 23. App. B. M. 68.

2) Fortasse Dianii maritima Hispaniae civitate. Cic. Verr. 11, I, 34 ibique Pseudo-Ascon. p. 183 ed. Orell. et Verr. 11, 5, 56.

foedere tamen, quo ipse haberet Cappadociam et Bithyniam, sibique peritus belli dux cum copiis mitteretur, Sertorio vero tria talentorum millia et quadraginta naves darentur, iure iurando interposito, se obstrinxit.¹⁾ Sertorius misit senatorem M. Marium sive Varium, cui duos Lucios, Magium Fanniumque, adiunxit, quorum consiliis uteretur.²⁾ Mithridates hunc belli ducem amplissimo affectit honore; quin eum sequi, quum urbes occupatas intraret, haud infra se duxit. Sertorii nomine legatus ille civitates alias liberas, alias immunes proclamavit, quibus beneficiis praestitis Asia oppressa aliquam melioris conditionis spem fovere ausa est.³⁾

Sed redeamus ad res Hispaniae. Metellus in Baeticam, e qua provincia totum annum 75 abfuerat, reversus, tantos hoc fere, ut videtur, tempore sumpsit spiritus, ut se imperatorem salutari civitatesque ingredientem sacrificiis et aris excipi pateretur. Conviviis adeo tum alio apparatu splendidissimis tum Victoriae, ipsi veste triumphali induito coronas porrigentis, simulacris e lacunari artificiose demissis, et choris puerorum, virginum canticis incultorumque poëtarum carminibus mirum in modum delectatus fuisse fertur.⁴⁾ Quo factum est, ut Metellus, cuius luxuriosa superbia non nisi adolescentium levitati placere potuit, in aetate provectorum vitaeque integrorum virorum reprehensionem incur-

1) Perperam Flor. III, 22 refert regem a Sertorio classe adiutum esse.

2) App. I. I. Plut. I. I. 24.

3) Plut. I. I.

4) Plut. I. I. 23, quocum Sallustius II, fr. 23 vel hoc nomine dignus est, qui conferatur, ut appareat, quomodo hoc scriptore ille usus sit. Cf. etiam Cic. pro Arch. 10 fin. et Val. Max. IX, 1, 5.

reret, partemque certe gloriae partae amitteret.¹⁾ Tantum tamen a spe Sertorium armorum vi conficiendi abfuit, ut, nuncio foederis cum Mithridate initi accepto, præmia amplissima, viginti adeo millia iugerum agri, et, si proscriptus esset, liberum in patriam redditum ei, qui δραπέτην Σύλλα καὶ λειψανον τῆς Κάρβανος Φυγῆς intermisset, per præconem polliceretur.²⁾ Nec est quod mirum, nncium huius foederis, non modo Metello et Pompeio, verum omnibus, quibus civitatis salus cordi esset, vehementem iniecisse metum. Etenim vix umquam respublica Romana maioribus malis undique ingruentibus pressa est. Ubique Romanis bella simul gerenda erant: in Hispania adversus Sertorium, in Oriente adversus Mithridatem, toto mari cum piratis, circa Cretam cum ipsis Cretensibus, in Italia cum gladiatoriis.³⁾ In rebus adeo trepidis Sertorium visum esse alterum Hannibalem, Mithridatem Philippum alterum multorumque animos metum subiisse, ne ille Hispania devicta patriam ab occidente, hic ab Oriente Italiam, quin ipsam Romam invaderet, lubricissime credo, nec est, quod quis in dubium id vocet, modo meminerit metuentibus pericula videri iusto longe maiora. Hoc profecto constat, quod iam monuimus, Metellum desperasse fore, ut Sertorium vi superaret. Interim tamen in multa Sertorii oppida incursionem fecit, virosque inde in regiones sibi subiectas transtulit. Pompeius vero quum Pallantium obsideret, murosque subditis

1) Sall. l. l.

2) Plut. l. l.

3) App. B. C. I, III.

stipitibus suspendisset, Sertorius superveniens obsidionem solvit.¹⁾ Quo factum est, ut Pompeius, deustis prius moenibus, receptui caneret seque ad Metellum recipere. Sertorius, quae corruerant, reficienda curavit, et, impetu in Calagurim facto, hostium tria millia interfecit.²⁾ Sic Metellum et Pompeium diversas regiones petere coegerit, illum quidem Hispaniam ulteriorem, hunc vero Galliam.³⁾

De rebus annorum 73 et 72 scriptores tantum non silent. Nusquam quidem magno proelio dimicatum est, sed tamen Sertorius quippe descritus et proditus semper inferior e pugna discessit.⁴⁾ Eo vero uberius nobis refert Plutarchus, quomodo seditiosa in ipso Sertorianorum exercitu machinatione et vero coniuratione, duce Perpenna facta, Sertorio caedes illata sit. Quae quomodo sensim paulatimque praeparata et tandem patrata sit, restat, ut paucis exponam.

1) App. I. I. 112.

2) App. I. I. Liv. Ep. 93.

3) Liv. I. I.

4) App. I. I. 113. Liv. Ep. 94, 96.



C A P U T III.

DE CONIURATIONE IN SERTORIUM FACTA AD EIUS NECEM.

Aliunde, quam putaremus, ab ipsis adeo amicis profugis, interitus Sertorio imminebat. In quibus non dicerant occulti adversarii iisque genere et muneribus gestis clarissimi, qui Sertorii, hominis novi, gloriae et potentiae invidi, duce Perpenna, quacunque poterant ratione, inquis sermonibus famam eius atque auctoritatem lacerare conabantur. Huc ducunt verba Sallustii.¹⁾ „Ad hoc rumoribus advorsa in pravitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem declinando corrumpebant”. In primis Perpenna, vir praetorius, e proscriptis, gentis claroris quam animi,²⁾ qui tantum non vi coactus Sertorio se subiecerat,³⁾ ambitione et invidia ductus furtim animos suorum transversos agebat voluntatesque a Sertorio

1) Hist. II. fr. 80.

2) Vell. Paterc. II, 30.

3) Plut. I. l. 15.

ab alienabat. Illum Plutarchus¹⁾ ita dicentem inducit:

„Τις ἀρχ πονηρὸς ἡμᾶς ὑπολαβὼν ἐκ οἷων εἰς χείρονα Φέρει δαιμόνιον. οἱ Σύλλαφ μὲν, διοῖ τι συμπάσης ἀρχοντι γῆς καὶ θαλάττης, ποιεῖν τὸ προσταττόμενον οὐκ ἡξιοῦμεν, οἵκοι μένοντες, δεῦρο δὲ φθαρέντες, ὡς ἐλεύθεροι βιωσόμενοι, δουλεύομεν ἐκουσίως, τὴν Σερτωρίου δορυφοροῦντες Φυγὴν, ὅνομα χλευαζόμενον ὑπὸ τῶν ἀκούοντων, σύγκλητος ὄντες, ὕβρεις δὲ καὶ προστάγματα καὶ πόνους οὐκ ἐλάττονας Ἰβήρων καὶ Λυσίτανῶν ὑπομένοντες;” His similibusque vocibus mirum quantum Sertorii causac nocbat; qui quum ubique adesse non posset, multaque per legatos gerenda essent, animis sic affectis, non potuit non quotidie debilitari. Hinc haud miramur, eum annis 73 et 72 numquam non inferiorem e certamine discessisse, hostesque, in dies maiora ausos, ulterius semper fuisse progressos.²⁾ Pessimis etiam consiliis Perpenna eiusque socii ipsos Hispanos a Sertorio alienos reddere et ad seditionem incitare conabantur. Modo aspere eos tractando graviterque puniendo, modo eos tributis onerando iussu, ut aiebant, Sertorii, varias in variis urbibus conflabant seditiones. Quas belli duces, tumultus reprimendi causa missi, non tantum non extinguebant, verum etiam novis fomentis alebant. Hinc turbis in dies crescentibus, Sertorius, homo alias mitissimus, aliquando adeo exasperatus fuisse fertur, ut nobilissimos Hispanorum iuvenes, in urbe Osca artibus liberalibus deditos, partim necandos partim vendendos curaret.³⁾ Adeo mentem eius unus

1) I. l. 25.

2) App. l. l.

3) Plutarchus variis locis tum alias virtutes tum vero mitem eius in-

omnium maxime Perpenna cum sociis, ubique seditionis semine sparso, perverterat; qui quidem non Sertorii, ut refert Appianus l. l. 113., luxuria commotus, quippe cuius summa teste Plutarcho in victu fuerit temperantia;¹⁾ non iracundia adductus, qua ille incendebatur varias ob suspiciones, quippe quarum ipse esset auctor; nec illius in puniendo crudelitate, quippe quam ipse acuisset; nec quod ille, semotis Romanis, corporis custodiam satellitibus Celtiberis committebat, quippe quam cautionem omni ex parte imminentia pericula suaderent; sed insatiabili dominandi cupidine stimulisque invidiac incitatus, de eo occidendo cum decem Romanis coniuravit. Quorum omnium

dolem praedicens, immanis illius saevitiae bis, l. l. 10 et 25, mentionem facit. Quamobrem, etsi ceteri scriptores hac de caede silent, vix tamen animus inclinat, ut omnem huic rei fidem denegem. Non semper narratio quaedam idcirco, quod alii de ea silent, in dubium vocanda est, modo ne sit eiusmodi, quae fide indigna videatur. Iam vero id, quod tradit Plutarchus, non tantum fieri potuit sed saepius evenit. Quare ille, ut Sertorii crimen quodam modo excuset, hoc bene addit: „Ceterum fieri potest, ut homo integer bonaque indole, calamitatum mole oppressus, ingenium una cum fortuna commutet.” Praeterea Appianus non quidem de caede Oscae commissa exponit, quippe qui ne scholam quidem illam a Sertorio institutam commemoret; sed tamen in eo cum Plutarcho congruit, quod Sertorium, crebris defectionibus exacerbatum, in complures crudelissime consuluisse tradit, B. C. 112. Inde tamen efficias nolim, Sertorium natura fuisse crudelem, quam opinionem Drumannus IV, 349 non tantum hac caede usus, sed compluribus aliis locis (Plut. Sert. 3, 5, 18, App. B. C. I, 109.) admodum commendare conatur. Non enim in solis factis, neglectis rerum momentis, ut de indole viri clarissimi iudices, subsistendum est, sed in primis quaerendum, qua mente, quo consilio, quo aevo, qua opportunitate illa edita sint. Quae res diligenter perpensa Sertorium, ut opinor, a crudelis ingenii nota egregie vindicant.

1) Plut. l. l. 1, 10, 13, 22, 26.

nomina ad nos non pervenerunt, sed quinque tantum supersunt: M'. Antonii,¹⁾ Aufidii,²⁾ Octavii Graecini,³⁾ Tarquitii Prisci⁴⁾ et L. Fabii Hispaniensis.⁵⁾ Praeter Perpennam unus Antonius sociorum nomina tenebat. Qui quum adolescentuli amore deperiret, eique amoris testificandi gratia coniurationem patefecisset, Aufidius, cui idem adolescentulus omnem exposuerat sermonem, metu percusus, Perpennam de imminentि periculo certiorem fecit eumque etiam atque etiam, ne cunctaretur, monuit.⁶⁾ Hic tanto magis properato opus esse putavit, quod brevi ante, insidiis detectis, nonnulli ex coniuratis puniti essent, aliique non nisi fuga necem evasissent, se praeter exspectationem non deprehenso.⁷⁾ Itaque hominem subornat, qui Sertorio suis verbis nunciet, insignem victoriā ab uno e legatis reportatam esse. Perfectis ille litteris, verum nuncium esse existimavit et, magno opere gavisus, sacrificia fieri iussit.

Interim a Perpenna ad lautum amicorum convivium invitatus, tandem multis precibus exoratus est.⁸⁾ Ac discubuerunt, Sertorius inferior in medio, super eum L. Fabius Hispanensis senator ex proscriptis: in summo An-

1) Liv. 96. Sall. III, fr. 4. Apud Plut. I. I. 26 scriptura Mallii vittiosa est.

2) Plut. I. I.

3) Plut. I. I.

4) Sall. I. I.

5) Sall. I. I.

6) Plut. I. I.

7) App. B. C. I, 113.

8) Plut. I. I. App. I. I.

tonius, et infra scriba Sertorii Versius: et alter scriba Maecenas in imo medius inter Tarquitium et dominum Perpennam.¹⁾ In medio convivio coniurationis socii ebrietatem simulantes palam indecora verba proferebant, multaque petulanter et lascive agebant, quibus Sertorium, ab omni super mensas immodestia abhorrentem, ad iram excitarent. Qui sive quod moleste hanc ferebat iniuriam, sive quod, qua mente essent, ex tarditate loquelaet et exigua praeter morem reverentia intelligebat, resupinato capite, oculos auresque ab eorum petulantia avertit. Tum Perpenna, poculo inter bibendum e manibus humi demisso, coniurationis sociis signum dedit. Confestim Antonius Sertorium gladio percussit, et ei ad ictum surgenti in pectus irruit ambasque prehendit manus. Quem deinde omni defensione destitutum reliqui multis ictibus conferunt.²⁾ Hunc vitae exitum anno 72 habuit in urbe, nisi fallor, Osca³⁾ vir ille celeberrimus, alter et vita et obitu Viriathus, qui, nisi proditione sublatus esset, procul dubio plurimum adhuc negotii optimatibus et senatui fassivisset. Obiit ἀπωλείας. Qui enim se filium eius esse simulavit, a vidua haud agnitus est.⁴⁾

Ex hac vero caede Perpenna fructus speratos haud tulit.⁵⁾ Nuncio enim indigni facinoris accepto, Romani pariter ac Barbari, in primis vero Lusitani, non nisi vir-

1) Sunt haec verba Sallustii I, 1.

2) Plut. I, 1.

3) Strabo III, 4, 10. Vell. Patrc II, 30.

4) Val. Max. IX, 15, 4.

5) De iis, quae post caudem Sertorii acciderunt, cff. App. B. C. I, 114 et 115, et Plut. I, 1. 27.

tutem bellique peritiam imperatoris vita defuncti intuentes, et, quantam fecissent iacturam, secum reputantes, spe omni salutis in rebus tam trepidis sublata, acri in parricidam ira perciti, tumultuari coeperunt; plurimaeque Hispaniae civitates per legatos Metello et Pompeio se dediderunt. Quum vero, Sertorii testamento aperto, Perpennam coheredem scriptum, ac proinde non tantum imperatoris verum etiam amici sanguine manus illius adspersas esse constaret, mirum in modum aucta est omnium indignatio. Quae ne in apertam vim erumperet, continuo quidem aliis blandiendo, aliis minitando, nonnullis etiam nece inferenda cavit; at nihilo secius animi militum male in eum affecti esse pergebant, nec ipsi lubenter, sed necessitate compulsi iussis eius obtemperabant. Rebus igitur satis accisis, Metellus, unum Pompeium hosti parem fore existimans, in alteram Hispaniae partem discessit. Perpenna vero metuens, ne sui brevi officio deessent, velitationum pertaesus, magno proelio dimicare properat. Quod Pompeius, belli conficiendi cupidus nec nisi cum vulgari duce sibi rem esse ratus, haudquaquam fugit, sed laeto init animo. Nullo fere negotio segnibus copiis fusis, Perpennam, qui post cladem in virgultum se abdiderat, forte cognoscit mulio redemptoris.¹⁾ Pompeius parricidam comprehensum pollicitumque, se literis genuinis nomina nobilium Romanorum clam rebus novis studentium proditum esse, confessim interfici iussit,²⁾ literasque haud perfectas comburendas curavit, ne, indicio facto, respublica

1) App. l. l. 115, et Sall. III, 5.

2) Reliqu quoque coniurationis socii debitas subierunt poenas, Plut. l. l.

novis exagitaretur perturbationibus. Quae prudentissima agendi ratio non parum ad Pompeii laudem valuit.¹⁾ Vastata demum Calagurri bellum Sertorianum confectum est, quod, si anni a primo eius in Hispaniam adventu computantur, per decem annos gestum est²⁾; per octo vero, si initium ducimus ab anno, quo a Lusitanis imperator bello praefectus est³⁾; per quinquennium autem, si ab adventu Pompeii ordimur. Hic pacatis Hispaniis erectisque in Pyrenaeo tropaeis, ingenti rerum a se gestarum adiecto titulo, in quo Sertorii ne mentionem quidem fecit, sive superbia occaecatus, sive ne triumpho excideret veritus, in Italiam rediit, ibique post Metellum egit triumphum.⁴⁾

Hic belli Sertoriani finis, quod, Sertorio vivo, procul dubio non tam brevi et facile restinctum fuisset.⁵⁾

1) Plut. I. I. et Pomp. 20, ubi tamen addit, fuisse quosdam, qui Pompeium ingratii animi arguerent, quippe qui parum memor actorum in Sicilia fuisset.

2) Liv. Ep. 96. Oros. 23.

3) Liv. I. I. App. I. I. 108. Eutr. VI, 1.

4) Vell. II, 30. Cf. Plin. VII, 27, Flor. III, 22.

5) App. I. I. 115.



16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100
101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200
201
202
203
204
205
206
207
208
209
210
211
212
213
214
215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
260
261
262
263
264
265
266
267
268
269
270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
500
501
502
503
504
505
506
507
508
509
510
511
512
513
514
515
516
517
518
519
520
521
522
523
524
525
526
527
528
529
530
531
532
533
534
535
536
537
538
539
540
541
542
543
544
545
546
547
548
549
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
560
561
562
563
564
565
566
567
568
569
570
571
572
573
574
575
576
577
578
579
580
581
582
583
584
585
586
587
588
589
590
591
592
593
594
595
596
597
598
599
600
601
602
603
604
605
606
607
608
609
610
611
612
613
614
615
616
617
618
619
620
621
622
623
624
625
626
627
628
629
630
631
632
633
634
635
636
637
638
639
640
641
642
643
644
645
646
647
648
649
650
651
652
653
654
655
656
657
658
659
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
670
671
672
673
674
675
676
677
678
679
680
681
682
683
684
685
686
687
688
689
690
691
692
693
694
695
696
697
698
699
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
710
711
712
713
714
715
716
717
718
719
720
721
722
723
724
725
726
727
728
729
730
731
732
733
734
735
736
737
738
739
740
741
742
743
744
745
746
747
748
749
750
751
752
753
754
755
756
757
758
759
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
770
771
772
773
774
775
776
777
778
779
780
781
782
783
784
785
786
787
788
789
790
791
792
793
794
795
796
797
798
799
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
810
811
812
813
814
815
816
817
818
819
820
821
822
823
824
825
826
827
828
829
830
831
832
833
834
835
836
837
838
839
840
841
842
843
844
845
846
847
848
849
850
851
852
853
854
855
856
857
858
859
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
870
871
872
873
874
875
876
877
878
879
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
890
891
892
893
894
895
896
897
898
899
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
910
911
912
913
914
915
916
917
918
919
920
921
922
923
924
925
926
927
928
929
930
931
932
933
934
935
936
937
938
939
940
941
942
943
944
945
946
947
948
949
950
951
952
953
954
955
956
957
958
959
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
970
971
972
973
974
975
976
977
978
979
980
981
982
983
984
985
986
987
988
989
980
981
982
983
984
985
986
987
988
989
990
991
992
993
994
995
996
997
998
999
1000

Q U A E S T I O N E S.

I.

Comparatio Sertorii cum Hannibale speciosior est quam
verior.

II.

Sertorius Oscae interemtus esse videtur.

III.

Plutarchi verba in vita Sertorii c. 2. „Κοῦντω Σερτωρίω
γένος ἦν οὐκ ἀσημότατου” non est quod sollicitemus.

IV.

Plut. l. l. 3. pro Γυριστοινῶν praestat legere Ὁμηρίων.

V.

Veterum literarum studium, ut uberrimos ferat fructus,
antiquitatum scientia carere nequit.

VI.

Peculiare ex antiquitatibus Romanis emolumentum idque
maximum ingenui capiunt iuris studiosi.

VII.

Ignoramus, quatenus censorum et aedilium munera in
curandis aedibus fuerint distincta. Id vero constat, ab-
sentibus aut deficientibus censoribus, aediles non semper,
quaecunque ad aedium curam spectarent, peregisse.

VIII.

Prudenter Cicero de tribuniae potestatis commodis et
incommodis cum Quinto fratre disputavit de Legg. III.
10, 11.

IX.

Qui non solum facta narrat, sed etiam causas eorum
investigat, ut Sallustius, is, tum in hominum primas
partes agentium tum in temporum conditionem inquire
debet.

X.

De Lycurgo quamvis multa fabulosa narrentur, non

tamen dicendum videtur, eum numquam vixisse, quod aedem sacram et annua sacrificia habuerit.

XI.

Acerbissima Lenaei satyra et declamatio, quae sub Ciceronis nomine in Sallustium circumfertur, omni ad persuadendum vi carent, hunc moribus fuisse corruptissimis. Argumenta tamen alia exstant, quibus ad credendum movcar, eum saltem non ab omni vitae labe fuisse liberum.

XII.

Hom. V. v. 88 mirum est, editores non vidisse, pro ἐκέδασσε, una litera expuncta, scribendum esse: ἐκέασσε.

XIII.

Ibid. v. 666.

μηροῦ ἔξερύσαι δόρυ μείλινον, ὅφε ἐπιβαῖη,
spurium esse iudico.

XIV.

In Euripidis Hec. v. 504. „Αγαμέμνονος πέμψαντος,
ω γύναι, μέτα” non una sed duplex admittenda est ellipsis.

XV.

Versuum 555 et 556 eiusdem fabulae: „οἱ δὲ, ως τάχιστοι”

ῆκουσαν ὑστάτην ὅπα, μεθῆκαν, οὕπερ καὶ μέγιστον ἦν κράτος” quos Mathiaeus et Hermannus ab interpolatoris manu profectos esse censem, sanitatem bene tuetur Pflugkius.

XVI.

Nonnunquam Cicero linguam latinam locupletiorem esse quam graccam dixit, sed, ut in re parum vera accidere solet, sibi haud constitit.

XVII.

Lubentissime cum Car. Halm in Cic. orat. pro Archia poëta § 12. hanc tueor lectionem „ut a nullius umquam me tempore aut commodo aut otium meum abstraxerit aut voluptas avocarit aut denique somnus retardarit.”

XVIII.

Cic. p. S. Roscio Amerino § 16. „Hic cum omni tempore nobilitatis fautor *fuisset*, tum hoc tumultu proximo, cum omnium nobilium dignitas et salus in discri-
men veniret, praeter ecteros in ea vicinitate eam partem causamque opera, studio, auctoritate defendit.” Legen-
dum est *suit pro fuisse*.

XIX.

Ibidem § 20. „Demonstrant, cum pater huiusc, *Sext. Roseius*, homo tam splendidus et gratiosus, nullo negotio sit occisus, perfacile hunc, hominem incautum et rusticum

et Romae ignotum, de medio tolli posse." Interpretis sunt vocabula *Sex. Roscius.*

XX.

Hor. de arte poëtica v. 114. scriptura non sollicitanda videtur : „Intercerit multum Davusne loquatur an heres.”


XXI.


Quum ex Taciti Hist. V, 19, 20 et 21 constare videatur, Grinnes in sinistra Rheni ripa sitos fuisse, eorum sententia improbanda videtur, qui statuant, Grinnes eam urbem esse, quam hodie Rhenen vocamus.


has all passed - so on this subject nothing more
at present - except a slight

mentioning of the same - and the rest of the month
is occupied entirely in the study of the various

books - and the time is spent in reading - writing
and in the preparation of the lecture - which
is to be delivered on Friday evening - and the audience
will consist of about 1000 persons - and the







DISS
RHE